

OFFICIA PROPRIA  
DIOESES  
PASSAVIENSIS

PARS HIEMALIS

Die 26 Novembris

S. JOANNIS  
BERCHMANS

Confessoris

Duplex

**In II Vesperis Ant.** Hic vir despiciens mundum et terréna, triúmphans, divítias cælo cóndidit ore, manu.

**V.** Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. **R.** Et osténdit illi regnum Dei.

**Oratio**

**C**oncède, quæsumus, fámulis tuis, Dómine Deus: ea innocéntiæ ac fidelitátis exémpa in tuo servítio sectári; quibus angélicus júvenis Joánnes ætátis suæ florem consecrávit. (Per Dóminum.)

Deinde fit Commemoratio S. Silvestri Abb.:

**Ant.** Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca

Propr. Passavien. P. Hiem.

fuísti fidélis, supra multa te constitúam, intra in gáudium Dómini tui.

**V.** Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. **R.** Stulam glóriæ induit eum.

**Oratio**

Clementíssime Deus, qui sanctum Silvéstrum Abbatem, sæculi hujus vanitatem in apérto túmulo pie meditántem, ad éremum vocáre, et præcláris vitæ méritis decoráre dignátus es: te súpplices exoráramus; ut, ejus exémplo terréna despiciéntes, tui consórtio perfruámur ætérno. Per Dóminum.

Die 4 Decembris

S. BARBARÆ

Virginis et Martyris

Duplex majus

**V.** Spécie tua et pulchritúdine tua. **R.** Inténde, prospere procéde, et regna.

**Ad Magnif. Ant.** Veni, Sponsa Christi, \* áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.

**Oratio**

**D**eus, qui inter cetera poténtiæ tuæ miracula étiam in sexu frágili victóriam martýrii contulísti: concéde propítius; ut, qui beátæ Bárbaræ Vírginis et Mártýris tuæ natalítia cólimus, per ejus ad te exémpla gradiámur. Per Dóminum nostrum Jesum Christum, Fílium tuum: Qui tecum.

**Et fit Commemoratio præcedentis:**

**Ant.** Hic vir despiciens mundum et terréna, triúmphans, divítias cælo cóndidit ore, manu.

**V.** Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. **R.** Et osténdit illi regnum Dei.

**Oratio**

Deus, qui Indiárum gentes beáti Francísci prædicatióne et miraculis Ecclésiæ tuæ aggregáre voluísti: concéde propítius; ut, cujus gloriósa mérita venerámur, virtútum quoque imitémur exémpla. (Per Dóminum.)

**Deinde Commemoratio S. Petri Chrysologi Ep., Conf. et Doct.:**

**Ant.** O Doctor óptime, Ecclésiæ sanctæ lumen, beáte Petre Chrysóloge, divínæ legis amátor, deprecáre pro nobis Fílium Dei.

**V.** Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. **R.** Stulam glóriæ induit eum.

**Oratio**

Deus, qui beátum Petrum Chrysólogum Doctórem egrégium, divínitus præmonstrátum, ad regéndam et instruéndam Ecclésiám tuam éligi voluísti: præsta, quæsumus; ut, quem Doctórem vitæ habúimus in terris, intercessórem habére mereámur in cælis. (Per Dóminum nostrum.)

**Postea Commemoratio Feriæ.**

**In II Nocturno**

**Lectio iv**

**B**árbara virgo Nicomedíæ in persecutióne Júlii Máximi passa est. A patre síquidem Díoscoro, viro nóbili sed gentili, in alta et muníta turri, ob egrégiam ejus pulchritúdinem custodiénda inclúditur: ubi bálneum, et in

eo duas fenestras, quibus lumen exciperetur, fieri jubet. Bárbara vero absente patre tertiam addidit curavit fenestram, et labri pavimentum crucis imagine ornari voluit. Reversus pater de tertia fenestra quaerit. Virgo occasione nacta, de sacrosanctae Trinitatis mysterio multa aperte et divine disserit, ac pluribus verbis ad salutarem Christi fidem patrem est cohortata.

**R.** Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam: \* Et deducet te mirabiliter dextera tua. **V.** Specie tua et pulchritudine tua intende, prospere procede, et regna. **Et.**

#### Lectio v

**A**t pater non solum suae impietatis stimulis, sed etiam maximo Caesaris timore adductus, qui fidem Christi immaniter persequeretur, filiam modis omnibus nititur ad idololatriam revocare. Cumque id consequi non posset, provinciae praesidi eam tradit. Qui primum virginem blanditiis aggressus, ubi se nihil vidit efficere, nudam nervis bubulis crudeliter caedi, dein

praecutis testulis vulnera perfricari imperat. Post haec in carcerem truditur, ubi clarissima luce et Christi Domini praesentia ad reliqua subeunda certamina mirifice confirmatur.

**R.** Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem: \* Propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo laetitia. **V.** Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam. **Propterea.**

#### Lectio vi

**S**ed cum iterum praesidii sisteretur, et constantior in fidei confessione persisteret, ferreis unguibus dilaniatur, lateribus ardentes faces admoventur, caput ferreis malleis contunditur, mamillae praescinduntur, diruptis vestibus ignominiae causa per publica loca perducitur. Quibus tormentis fortiter et invicte superatis, tandem a patre impietatis furore amente, capite truncata, gloriosum martyrii agonem consummavit. Ab Origene sacris literis imbuita fuisse traditur.

**R.** Afferentur Regi virgines post eam, proxima



ejus \* Afferéntur tibi in lætítia et exsultatíone. **V.** Spécie tua et pulchritúdi- ne tua inténde, prospere procéde, et regna. Afferéntur tibi. **Gloría Patri.** Afferéntur tibi.

In III Nocturno Homilia in Evangelium Simile erit regnum cælórum decem virgí- nibus, de Communi Virginum 1 loco.

Pro S. Petro Chrysologo:

### Lectio ix

**P**etrus, qui ob áuream ejus eloquéntiam Chrysólogi cognómen ad- éptus est, Foro Cornélii in Æmília honéstis pa- réntibus natus, a prima ætáte ánimus ad religi- ónem adjíciens, Cornélio Románo, tunc ejúsdem urbis Corneliénsis epíscopo, óperam dedit; a quo diaconus mérito creátus est. A sancto Xysto Papa tértio archiepíscopus Ra- vénnae, licet invítus, re- nuntiátus, a Ravennáti- bus máxima cum reverén- tia susceptus est. In pa- storáli múnere exímus, ludos ab homínibus per- sonátis fieri sólitos ut co- hibéret contióne, illud præcláre dixit: Qui jocári volúerit cum diabolo, non póterit gaudere cum Chri-

sto. Vitæ suæ finem diví- nitus prænoscéns, in pá- triam se cóntulit; et sanc- ti Cassiáni templum in- gréssus, pretiósá dona cum obtulisset, Deum eundémque patrónum hu- míliter rogávit, ut benigne ánimam ejus exciperent. Migrávit ex hac vita quar- to Nonas Decémbris, dé- cimo octávo episcopátus anno. Ejus sacrum corpus prope corpus sancti Cas- siáni honorífice cónditum est. Te Deum laudámus.

### AD LAUDES

**V.** Diffúsa est grátia in lábiis tuis. **R.** Proptérea benedíxit te Deus in æ- térnum.

**Ad Bened. Ant.** Simile est regnum cælórum \* hó- mini negotiatóri quærénti bonas margarítas: invén- ta una pretiósá, dedit óm- nia sua, et comparávit eam.

### Oratio

**D**eus, qui inter cétera poténtiæ tuæ mirácu- la étiam in sexu frágili victóriam martýrii contu- lísti: concéde propítius; ut, qui beátæ Bárbaræ Virgínis et Mártyris tuæ natalítia cólimus, per ejus ad te exémpa gradiámur. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio S. Petri Chrysologi:

**Ant.** Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca te constituam, dicit Dóminus.

**V.** Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. **R.** Et osténdit illi regnum Dei.

### Oratio

Deus, qui beátum Petrum Chrysologum Doctórem egrégium, divínitus præmonstrátum, ad regéndam et instruéndam Ecclésiám tuam éligi voluísti: præsta, quæsumus; ut, quem Doctórem vitæ habuimus in terris, intercessórem habére mereámur in cælis. (Per Dóminum nostrum.)

Deinde Commemoratio Feriæ:

### IN II VESPERIS

**V.** Diffúsa, ut supra 4\*.

**Ad Magnif. Ant.** Veni, Sponsa Christi, \* áccipe coronám, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.

Et fit Commemoratio S. Petri Chrysologi:

**Ant.** O Doctor óptime, Ecclésiæ sanctæ lumen, beáte Petre Chrysóloge,

divinæ legis amátor, deprecáre pro nobis Filium Dei.

**V.** Justum et Oratio Deus, qui beátum, ut supra.

Deinde Com. Feriæ.

Postea S. Sabbæ Abbatis:

**Ant.** Similábo eum viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram.

**V.** Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. **R.** Stulam glóriæ induit eum.

### Oratio

Intercéssio nos, quæsumus, Dómine, beáti Sabbæ Abbátis comméndet: ut, quod nostris méritis non valémus, ejus patrocinio assequámur. Per Dóminum nostrum Jesum Christum, Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat.

### Die 16 Decembris

BEATI HARTMANNI  
Episcopi et Confessoris

Duplex (m. t. v.)

**Ant.** Sacérdos et Póntifex, et virtútum ópifex, pastor bone in pópulo, ora pro nobis Dóminum.

**V.** Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. **R.** Stulam glóriæ induit eum.

## Oratio

**O**mnípotens sempitérne Deus, qui hujus diéi venerándam sanctámque lætítiam in beáti Hartmánni Confessorís tui atque Pontíficis sollemnitáte consecrásti: da córdibus nostris tui amóris augmentum; ut, cujus pia mérita venerámur in terris, illíus in cælo patrocínia sentiámus. (Per Dóminum nostrum.)

Deinde fit Commemoratio S. Eusebii Ep. et Mart.:

**Ant.** Iste Sanctus pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórum non tímuit; fundátus enim erat supra firmam petram.

**V.** Glória et honóre coronásti eum, Dómine. **R.** Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

## Oratio

Deus, qui nos beáti Eusebii Mártyris tui atque Pontíficis ánnua sollemnitáte lætíficas: concéde propítius; ut, cujus natalítia cólimus, de ejúsdem étiam protectióne gaudeámus. (Per Dóminum.)

Postea Commemoratio Ferialis.

In I Nocturno, si dicenda non sint de Scriptura occurrenti, Lectiones Laudémus viros gloriósos, de Comuni Confessoris Pontíficis 2 loco.

## In II Nocturno

## Lectio iv

**H**artmánnus, in vicinia urbis Passaviénsis in Bavária honéstis paréntibus natus, a primis annis canónicis reguláribus sancti Augustíni in monastério sancti Nicolái prope eándem urbem líteris et bonis móribus imbuéndus tráditur. Adúlta ætáte se Deo per religiósa vota ibídem mancipávit, moxque virtútum laude mirum in modum efflóruit. Cum ergo Conrádus archiepiscopus Salisburgénsis, cleri sui mores reformatúrus, vivéndi normam a sancto Augustíno præscríptam in ecclésiám suam intróducere meditarétur, Hartmánnus ab eódem pro óperis tam sancti executiône deléctus et ecclésiæ metropolitánæ decánus institútus est. Pósito ibídem pietátis fundaménto ab eódem archiepiscopo ad præpositúram monastérii Chiemseénsis translátus, ibi quoque verbo



et exémplo vitam vere apostólicam restaurávit, et póstmodum sanctus Leopóldus Austriæ Márchio eúndem ad régimen claustrí Neoburgénsis a se recens fundáti postulávit.

**R.** Inveni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: \* Manus enim mea auxiliábitur ei. **V.** Nihil proficiet inimicus in eo, et filius iniquitátis non nocébit ei. **Manus.**

### Lectio v

**I**n omni, quo commorátus fúerat, loco tam præclára virtútum ac prudentiæ espécimina dedit, ut defúnc̄to Reginbérto ecclésiæ Brixinénsis episcopo, commúni ómnium suffrágio in ejus locum adscítus fúerit. Ut vero inter episcopátus curas alénda fovendæque pietáti recéssum habéret, prope civitátem collégium canonicórum regulárium Neocellénse ædificándum curávit, Reginbértum de Sabióna ad institutióem pérmovens, quod ipse multis beneficiis adáuxit. Monastérium hoc canónicis Claustro-Neobúrgo adscítis tráditum, et ecclésia título Dei Genetrí-

cis Mariæ, cujus Hartmánus singuláris semper cultor erat, consecráta fuit. Paucis post annis Ríchero ecclésiæ Brixinénsis canónico auctor simúlque largus adjútor fuit, ut hospitále sanctæ Crucis pro páuperum peregrinántium solácio Brixinæ ædificarétur. Fridérico imperatóri primo ob egrégias virtútes acceptíssimus eidem a confessiόνibus et consiliis fuit; sed ubi idem imperátor pervérsis nefariórum fráudibus schísmati involvábatur, Hartmánus únacum archiepiscopo suo Eberhárdó legítimo Pontífici Alexándro tertio adhérens, nec minis nec promíssis ad sequéndas aliénas partes indúci pótuit.

**R.** Pósuí adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea: \* Manus enim mea auxiliábitur ei. **V.** Inveni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. **Manus.**

### Lectio vi

**C**um ergo ecclésiám suam per annos viginti quátuor sanctíssime rexisset, et mira haud pauca

patrasset, die próxima ante vigiliam Nativitatis Dómini, perácta prius humillima peccatórum confessióne oblatóque incruénto sacrificio, repentina apopléxia corréptus piissime óbiit anno millésimo centésimo sexagésimo quarto. Corpus ipsius in ecclésia cathedráli Brixinénsi ante altáre sancti Stéphanii sepúltum per Eberhárdum secúndum archiepiscopum Salisburgensem annis post óbitum sexaginta tribus elápsis in locum magis honoríficum translátum est, ac demum únacum reliquiis sanctórum Ingenuíni et Albuíni episcopórum páriter Brixinénsium, pretiósæ arcæ inclúsum fuit. Comprobáto póstmodum immemorábili cultu inde ab óbitu per sæcula succedéntia illi exhibito Pius Papa sextus die undécima Februárii anno millésimo septingentésimo octogésimo quarto concéssit, ut a clero Brixinénsi in ejúsdem honórem Officium cum Missa recitári valeret. Pius vero séptimus eúndem cultum Hartmánni canóniæ Claustroneoburgénsi indúlsit.

**R.** Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est: \* Ipse intercédát pro peccátis ómnium populórum. **V.** Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. **Ipse. Glória Patri. I** pse.

In III Nocturno Lectiones de Homilia in Evangelium Homo pégre, de Communi 1 loco.

Pro S. Eusebio Ep. et Mart.:

### Lectio ix

**E**usébius, natióne Sardinus, Románæ urbis lector, post Vercellénsis episcopus, advérsus Arianismum sic viríliter dimicávit, ut ejus invicta fides Libérium Summum Pontíficem ad vitæ soláciū erígeret. Pro ejúsdem fideicathólicæ confessióne a Constantio príncipe Scythópolim missus fuit, ubi famem, sitim, vérbera divérsaque supplicia est perpéssus. Inde in Cappadóciā relegátus, exsilií rigóres tulit usque ad mortem ipsius Constantíi, post quam ad ecclésiā suā revérti permíssus est. Tunc lúgubres vestes Itália mutávit; ubi, post-



quam Psalmórum ómni-  
um expurgátos a se com-  
mentários Orígenis édedit,  
Eusebiique Cæsareénsis,  
quos vérterat de Græco in  
Latínium; ad immarcesci-  
bilem glóriæ coronam,  
tantis ærúmnis proméri-  
tam, sub Valentiniáno et  
Valénte Vercéllis migrá-  
vit ad Dóminum.

Te Deum laudámus.

#### AD LAUDES

**V.** Justum dedúxit Dó-  
minus per vias rectas. **R.**  
Et osténdit illi regnum  
Dei.

**Ad Bened. Ant.** Euge,  
serve bone \* et fidélis,  
quia in pauca fuísti fidé-  
lis, supra multa te consti-  
tuam, dicit Dóminus.

#### Oratio

**O**mnípotens sempitérne  
Deus, qui hujus díei  
venerándam sanctámque  
lætítiam in beáti Hart-  
mánni Confessóris tui at-  
que Pontíficis sollemnitate  
consecrásti: da córdibus  
nostris tui amóris aug-  
méntum; ut, cujus pia mé-  
rita venerámur in terris,  
illius in cælo patrocínia  
sentiamus. Per Dómi-  
num nostrum Jesum Chri-  
stum, Fílium tuum: Qui  
tecum vivit et regnat.

**Et fit Commemoratio S.**  
**Eusebii:**

**Ant.** Qui odit ánimam  
suam in hoc mundo, in  
vitam ætérnam custódit  
eam.

**V.** Justus ut palma flo-  
rébit. **R.** Sicut cedrus Lí-  
bani multiplicábitur.

#### Oratio

Deus, qui nos beáti Eu-  
sebii Mártyris tui atque  
Pontíficis ánnua sollem-  
nitate lætíficas: concéde  
propítius; ut, cujus nata-  
lita cólimus, de ejúsdem  
étiam protectióne gaude-  
ámus. (Per Dóminum.)

**Deinde Commemoratio Fe-  
riæ.**

#### IN II VESPERIS

**V.** Justum, ut supra.

**Ad Magnif. Ant.** Amá-  
vit eum Dóminus, \* et or-  
návit eum: stolam glóriæ  
índuit eum, et ad portas  
paradisi coronávit eum.

**Et fit Commemoratio S.**  
**Eusebii:**

**Ant.** Qui vult veníre  
post me, ábneget semet-  
ipsum, et tollat crucem  
suam, et sequátur me.

**V.** Justus et Oratio  
Deus, qui nos, ut supra.

**Deinde Commemoratio Fe-  
riæ.**

Die 26 Decembris

S. STEPHANI  
PROTOMARTYRISPatroni princ. Civitatis  
et Titularis Eccles.

Cathedralis

Duplex I classis cum Octava  
communiAd Laudes fit Commemora-  
tio Octavæ Nativitatis.In Vesperis Commemoratio  
sequentis et Octavæ Nativi-  
tatis.¶ De S. Stephano fit Com-  
memoratio tantum diebus 29,  
30 et 31 Decembris.

Die 2 Januarii

OCTAVA S. STEPHANI  
PROTOMARTYRIS

Duplex majus

Pro Commemoratione S.  
Stephani in II Vesperis Cir-  
cumcisionis:**Ant.** Stéphanus autem  
plenus grátia et fortitúdi-  
ne, faciébat signa magna  
in pópulo.**V.** Glória et honóre co-  
ronásti eum, Dómine. **R.**  
Et constituísti eum super  
ópera mánuum tuárum.

Oratio

**O**mnípotens sempitérne  
Deus, qui primítias  
Máryrum in beáti Levi-  
tæ Stéphaní sáanguine de-  
dicásti: tribue, quæsu-  
mus; ut pro nobis inter-cèssor exsístat, qui pro  
suis étiam persecutóribus  
exorávit Dóminum no-  
strum Jesum Christum,  
Fílium tuum: Qui tecum.Antiphonæ et Psalmi ad  
omnes Horas et Versus Noc-  
turnorum de occurrenti heb-  
domadæ die ut in Psalterio;  
reliqua ut in Festo, præter  
Lectiones, quæ in I Nocturno  
dicuntur de Scriptura occur-  
renti cum suis Responsoriis  
de Tempore, in II et III ut  
sequitur.

In II Nocturno

Sermo sancti Augustíni  
Epíscopi

Sermo 2 de S. Stephano

Lectio iv

**P**ost hestérnum festívís-  
simum diem, quo Sal-  
vatóris nostri Christi no-  
bis Natívitas illúxit, ét-  
iam hodiérnus dies beáti  
Márytis Stéphaní coró-  
na illustrátur. Márytis  
illíus mérita nulla pars  
orbis ignórat: passus  
enim est in ipso princí-  
pio Ecclésiæ, id est, in  
ipsa urbe Jerosólýma. Ibi  
enim Díaconus ministrá-  
vit: et in ipso juventútis  
flore decórem ætátis suæ  
sáanguine purpurávit. Pás-  
sio ejus insígnis est, mul-  
túmque mirábilis. Hanc  
modo de libro Actuum  
Apostolórum, cum lege-

rétur, non solum audívimus, sed étiam óculis spectávimus.

**R.** Lapidábant Stéphanum invocántem et dicéntem: \* Dómine Jesu Christe, áccipe spiritum meum: et ne státuas illis hoc peccátum. **V.** Póstitis autem génibus clamávit voce magna, dicens. Dómine.

#### Lectio v

**C**hristus ergo caput Márturum prior passus est pro nobis, relínquens vobis exéplum, ut sequámini vestígia ejus. Cujus passiónis vestígia prosecútus beatísimus Stéphanus, confiténdo Christum lapidátus a Judáeis, corónam méruit tamquam suo sibi nómine pósitam. Stéphanus enim Græce, Latíne coróna appellátur. Jam coróna nomen habébat, et ídeo palmam mártýrii suo nómine præferébat.

**R.** Impetum fecérunt unánimiter in eum, et ejectionem eum extra civitátem, invocántem et dicéntem: \* Dómine Jesu, áccipe spiritum meum. **V.** Et testes deposuérunt vestiménta sua secus pedes adulescéntis, qui vocabá-

tur Saulus: et lapidábant Stéphanum invocántem et dicéntem. Dómine Jesu.

#### Lectio vi

**Q**ui cum lapidaretur, non solum non exspectábat de persecutóribus reportáre vindíctam, sed eis pótius a Deo véniam postulábat. Memínerat enim dixisse Dóminus: Mihi vindíctam, ego retribuam, dicit Dóminus. Et iterum: Ne dixeris: Ulcíscar me de inimícis meis; sed exspecta Dóminum, ut tibi auxílio sit. Exspectáre nos jubet Dóminus Deus, ut in die futúrá retributiónis cum sanctis Mártýribus vindicémur.

**R.** Impii super justum jactúram fecérunt, ut eum morti tráderent: \* At ille gaudens suscepit lápides, ut mererétur accípere corónam glóriæ. **V.** Continuérunt aures suas, et ímpetum fecérunt unánimiter in eum. **At.** Glória Patri. **At.**

#### In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

#### Lectio vii. Cap. 23, 34-39

**I**n illo témpore: Dicébat Jesus scribis et pharisæis: Ecce, ego mitto ad



vos prophétas, et sapiéntes, et scribas: et ex illis occidétis, et crucifigétis. Et réliqua.

Homília sancti Hierónymi  
Presbýteri

Lib. 4 Comment. in cap. 23  
Matth.

**J**erúsalem, Jerúsalem, quæ occidis prophétas. Jerúsalem, non saxa et ædificia civitátis, sed habitatóres vocat: quam plangit patris afféctu, sicut et in álio loco légimus, quod videns eam, fléverit. In eo autem quod dicit: Quóties vólui congregáre filios tuos: omnes retro prophétas a se missos esse testátur. Gallínæ quoque similitúdinem congregántis sub alas pullos suos, in cántico Deuteronomii légimus: Sicut áquila prótegit nidum suum, et super pullos suos desiderávit: expándens alas suas, suscepit eos, et tulit super pennas suas.

**R.** Stéphanus servus Dei, quem lapidábant Judæi, vidit cælos apértos: vidit, et introivit: \* Beátus homo, cui cæli patébant. **V.** Cum igitur saxórum crepitántium túrbine quaterétur, inter æthé-

os aulæ cæléstis sinus divína ei cláritas fulsit. **Beátus.**

Lectio viii

**E**cce relinquétur vobis domus vestra desérta. Hoc ipsum ex persóna Jeremíæ jam ante díxerat: Relíqui domum meam, dimísi hereditátem meam: facta est mihi heréditas mea quasi spelúnca hyænæ. Desértam Judæórum domum, id est, templum illud, quod fulgébat augústius, óculis comprobámus, quia habitatórem Christum pérdidit, et hereditátem præripere géstiens, occidit herédem.

**R.** Patefactæ sunt jánuæ cæli Christi Mártiri beáto Stéphanó, qui in número Mátyrum invéntus est primus: \* Et ideo triúmphant in cælis coronátus. **V.** Mortem enim, quam Salvátor noster dignátus est pro nobis pati, hanc ille primus réddidit Salvatóri. **Et. Glória Patri. Et.**

Lectio ix

**D**ico enim vobis: Non me vidébitis ámodo, donec dicátis: Benedíctus, qui venit in nómine Dómini. Ad Jerúsalem lóquitur, et ad pópulum

Judæorum. Versiculum autem istum, quo et parvuli atque lactentes in ingressu Jerusalem Domini Salvatoris usi sunt, quando dixerunt: Benedictus, qui venit in nomine Domini, hosanna in excelsis, sumpsit de centesimo decimo septimo Psalmo, qui manifeste de adventu Domini scriptus est.

Te Deum laudamus.

In Vesperis fit Commemoratio sequentis diei Octavae S. Joannis Ap.

Die 7 Januarii

S. VALENTINI

Ep. et Conf.

Patroni principalis  
Dioeceseos

Duplex I classis cum Octava  
communi

Omnia de Communi Confessoris Pontificis, præter sequentia:

**Ant.** Sacerdos et Pontifex, et virtutum opifex, pastor bone in populo, ora pro nobis Dominum.

**V.** Amavit eum Dominus, et ornavit eum. **R.** Stolam gloriæ induit eum.

**Oratio**

**P**ropitiare, quæsumus, Domine, nobis famulis tuis per beati Valentini

Confessoris tui atque Pontificis (in Cath. additur: qui in hac Cathedrali Ecclesia requiescit) merita gloriosa: ut ejus pia intercessione ab omnibus protegámur adversis. Per Dominum nostrum.

In I Nocturno Lectiones Laudemus viros gloriosos, de Communi Confessoris Pontificis 2 loco.

In II Nocturno

Lectio iv

**V**alentinus, vitæ sanctitate insignis, ab Océano ad Batava oppidum, nunc Passavium nuncupatum, venit. Ubi genti a vero Dei cultu alienæ verbum vitæ prædicaturus, Romam petiit, ut ad prædicandi munus apostolica interveniret auctoritas. Reversus inde, et jussu Pontificis pium opus aggressus, animas, quarum salutem mire sitiébat, assidua verbi divini prædicatione Christo lucrari diu multumque conatus est.

**R.** Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum: \* Manus enim mea auxiliabitur ei. **V.** Nihil proficiet inimicus in eo, et filius iniquitatis non nocébit ei. **Manus.**

## Lectio v

**V**erum cum semen verbi salutiferi véluti in petram frustra spargere vidéret, Romam rédiit, petens, se ad álium pópulum faciéntem fructum mitti. Sed Valentínus a Pontífice in Episcopum créatus, ac, ut Apóstoli exémplo adhuc ibídem prædicádo opportúne, importúne instáret, remíssus est, facultáte ei data, post irrítos tandem labóres ad álias gentes commigránde. Cum ígitur sanctus Episcopus spírítu Dei fervens múnere suo íterum ardénter insisteret, et Batávos ad viam veritátis tradúcere laboráret, illi, Arianórum accedénte perfídia, hanc prædicánde instántiam non feréntes, eum e finibus suis excédere coegerunt.

**R.** Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea: \* Manus enim mea auxiliábitur ei. **V.** Inveni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. **Manus.**

## Lectio vi

**Q**uare vir Dei Rhætias péragrans, hómínium salutí, ubíque prædicán-

do, quam máxime studébat. Tandem in montána se cónsulit, ubi multis pro Christo perfúctus labóribus, ingentíque animárum fructu reportáto, vitæ suæ términum præsciens, beáto fine quíevit, in vita et post mortem miraculis clarus. Ejus corpus in Majénsi castro in Alpibus sepúltum, ad Batávam tandem, uti própriam sedem, unde vivens exsuláverat, honorífice translátum est.

**R.** Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est:

\* Ipse intercédát pro peccátis ómnium populórum.

**V.** Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna.

**Ipse. Glória Patri. Ipse.**

In III Nocturno Homilia in Evangelium Homo pégre profíciscens, de Communi 1 loco.

## AD LAUDES

**V.** Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. **R.** Et osténdit illi regnum Dei.

**Ad Bened. Ant.** Euge, serve bone \* et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis,



supra multa te constituam, dicit Dominus.

**Oratio**

**P**ropitiare, quæsumus, Domine, nobis famulis tuis per beati Valentini Confessoris tui atque Pontificis (in Cath. additur: qui in hac Cathedrali Ecclesia requiescit) mérita gloriosa: ut ejus pia intercessione ab omnibus protegámur advérsis. Per Dóminum nostrum.

*Et fit Commemoratio Octavæ Epiphaniæ:*

**Ant.** Ab Oriente venérunt Magi in Bèthlehem adorare Dóminum: et apértis thesáuris suis, pretiósá múnera obtulérunt: aurum, sicut Regi magno; thus, sicut Deo vero; myrrham, sepultúræ ejus, allelúja.

**V.** Adorate Deum, allelúja. **R.** Omnes Angeli ejus, allelúja.

**Oratio**

Deus, qui hodierna die Unigénitum tuum géntibus stella duce revelásti: concède propítius; ut, qui jam te ex fide cognóvimus, usque ad contemplándam spéciem tuæ celsitúdinis perducámur. Per eúndem Dóminum.

**IN II VESPERIS**

**V.** Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. **R.** Et osténdit illi regnum Dei.

**Ad Magnif. Ant.** Amávit eum Dóminus, \* et ornávit eum: stolam glóriæ induit eum, et ad portas paradísi coronávit eum.

*Et fit Commemoratio Octavæ Epiphaniæ:*

**Ant.** Vidéntes stellam Magi, gávisi sunt gáudio magno: et intrátes domum, obtulérunt Dómino aurum, thus et myrrham, allelúja.

**V.** Reges Tharsis et insulæ múnera offerent. **R.** Reges Arabum et Saba dona addúcent.

**Oratio** Deus, qui hodierna, ut supra.

Die 14 Januarii

**IN OCTAVA  
S. VALENTINI**

**Ep. et Conf.**

**Duplex majus**

**Antiphonæ et Psalmi ad omnes Horas et Versus Nocturnorum de occurrenti Hebdomadæ die, ut in Psalterio; reliqua ut in Festo præter Lectiones, quæ in I Nocturno dicuntur de Scriptura occurrenti cum suis Responsoriis de Tempore, in II et III assignantur propriæ ut infra.**

**Ant.** Sacerdos et Póntifex, et virtútum ópifex, pastor bone in pópulo, ora pro nobis Dóminum.

**V.** Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. **R.** Stolam glóriæ induit eum.

**Oratio**

**P**ropitiare, quæsumus, Dómine, nobis fámulis tuis per beáti Valentini Confessoris tui atque Pontificis (*in Cath. additur: qui in hac Cathedrâli Ecclesiâ requiescit*) mérita gloriósa: ut ejus pia intercessióne ab ómnibus protegámur advérsis. (Per Dóminum nostrum.)

*Deinde Com. S. Hilarii Ep., Conf. et Eccl. Doct.:*

**Ant.** O Doctor óptime, Ecclesiæ sanctæ lumen, beáte Hilári, divínæ legis amátor, deprecáre pro nobis Fílium Dei.

**V.** Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. **R.** Et osténdit illi regnum Dei.

**Oratio**

Deus, qui pópulo tuo æternæ salútis beátum Hilárium místrum tribuísti: præsta, quæsumus; ut, quem Doctórem vitæ habúimus in terris, intercessórem habére mereámur in cælis. (Per Dñm.)

**Postea Commemoratio S. Felicis Presbyteri et Martyris:**

**Ant.** Iste Sanctus pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórum non tímuit; fundátus enim erat supra firmam petram.

**V.** Glória et honóre coronásti eum, Dómine. **R.** Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

**Oratio**

Concéde, quæsumus, omnipotens Deus: ut ad meliórem vitam Sanctórum tuórum exémpla nos próvocent: quátenus, quorum sollémnia ágimus, étiam actus imitémur. Per Dóminum nostrum.

**In II Nocturno**

Sermo sancti Gregórii  
Papæ

Part. 2 Pastoral. c. 1

**Lectio iv**

**T**antum debet actiónem pópuli áctio transcéndere præsulis, quantum distáre solet a grege vita pastóris. Opórtet namque, ut metíri se sollícite stúdeat, quanta tenéndæ recitúdinis necessitáte constringitur, sub cujus æstímatione pópulus grex vocátur. Sit ergo necesse est cogitatioe mundus, ac

tione præcipuus, discretus in siléntio, útilis in verbo, síngulis compassiõne próximus, præ cunctis contemplatiõne suspensus, bene agéntibus per humilitátem sócius, contra delinquentium vítia per zelum justítiæ erectus, internórum curam in exteriórum occupatiõne non mínuens, exteriórum providentiam in internórum sollicitúdine non relínquens.

**R.** Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: \* Manus enim mea auxiliábitur ei. **V.** Nihil proficiet inimicus in eo, et filius iniquitátis non nocébit ei. **Manus.**

**Lectio v**

**C**onsiderándum quoque est, quia cum curam pópuli eléctus præsul súscipit, quasi ad ægrum médicus accédit. Si ergo adhuc in ejus córpore passiões vivunt, qua præsumptiõne percússum medéri próperat, qui in fácie vulnus portat? Ille modis ómnibus debet ad exémplum bene vivéndi pértrahi, qui cunctis carnis passiõnibus móriens jam spiritaliter vivit, qui prospéra mundi postpónit, qui

nulla advérsa pertiméscit, qui sola intérna desíderat: cujus intentiõni bene congruens, nec omníno per imbecillitátem corpus, nec valde per contumáciã repúgnat spíritus, qui ad aliéna cupiénda non dúcitur, sed própria largitur.

**R.** Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea: \* Manus enim mea auxiliábitur ei. **V.** Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. **Manus.**

**Lectio vi**

**U**nde ipsum quoque episcopátus officium boni óperis expressiõne definítur, cum dicitur: Si quis episcopátum desíderat bonum ópus desíderat. Ipse ergo sibi testis est, quia episcopátum non áppetit, qui non per hunc boni óperis ministérium, sed honóris glóriã quærit. Sacrum quippe officium non solum non diligit omníno, sed nescit, qui ad culmen regíminis anhélans in occúlta meditatiõne cogitatiõnis ceterórum subjectionis páscitur, laude própria lætátur, ad honórem cor élevat, rerum affluéntium abundántia exsúltat. Mundi ergo



lucrum quæritur sub ejus honoris specie, quo mundi destrui lucra debuerant.

**R.** Iste est, qui ante Deum magnas virtutes operatus est, et omnis terra doctrina ejus repléta est: \* Ipse intercédât pro peccatis omnium populorum. **V.** Iste est, qui contempsit vitam mundi, et pervenit ad cælestia regna. **Ips.** Glória Patri. **Ips.**

### In III Nocturno

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum

#### Lectio vii Cap. 25, 14-23

**I**n illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc: Homo peregre proficiscens vocavit servos suos et tradidit illis bona sua. Et reliqua.

Homilia sancti Ambrósii  
Episcopi

#### Lib. 2 de vocat. gent. cap. 2 post medium

**D**atur unicuique hic sine merito, unde tendat ad meritum, et datur ante ullum laborem unde quisque mercedem accipiat secundum suum laborem. Quod ita esse evangelicæ veritatis testimonio agnoscitur, ubi per

comparationem dicitur, quod homo peregre proficiscens vocavit servos suos, et tradidit illis substantiam suam, et uni dedit quinque talenta, alii autem duo, alii vero unum, unicuique secundum propriam virtutem, id est, secundum propriam et naturalem possibilitatem, non autem secundum proprium meritum: Quia aliud est, posse operari, aliud operari: et aliud est, posse habere caritatem, aliud habere caritatem.

**R.** Amavit eum Dominus, et ornavit eum: stolam gloriæ induit eum, \* Et ad portas paradisi coronavit eum. **V.** Induit eum Dominus lorica fidei, et ornavit eum. **Et** ad portas paradisi coronavit eum.

#### Lectio viii

**N**on itaque, omnis reparabilis reparatur, nec omnis sanabilis sanatus est: quia reparabilem et sanabilem esse, de natura est; reparatum autem et sanatum esse, de gratia est. Denique isti, quibus secundum modulum capacitatis suæ, quem in eis distributor substantiæ

prævidēbat, dispar crēditus est nūmerus talentōrum, non mēriti remuneratiōnem, sed ōperis accēpēre matériam. In qua duōrum servōrum vigilantiſſima indūſtria non ōlum gloriōſis laūdibus honēſtatur, ſed etiā in ætērna Dōmini ſui gāudia intrāre præcipitur. Tērtii vero pigrum ōtium et deſidiōſa nequītia ſic punītur, ut et vituperatiōnis dedecorētur opprōbrio, et portiōne, quam accēperat, exuātur. Dignus enim erat, pērdere inūtilem fidem, qui non exercūerat caritatē.

**R.** Sint lumbi veſtri præcincti, et lucērnæ ardēntes in mānibus veſtris: \* Et vos ſimiles homīnibus exſpectāntibus dōminum ſuum, quando revertātur a nūptiis. **V.** Vigilāte ergo, quia nescītis qua hora Dōminus veſter ventūrus ſit. **Et. Glōria Patri.**  
**Et.**

**Pro S. Hilario**

**Lectio ix**

**H**ilarius, in Aquitānia nobili gēnere natus, doctrīna et eloquētia excelluit. Pictavorum epīscopus creātus, tale munus ſic gessit, ut a fidēlibus

summam laudem conſequerētur. Ob cathōlicam fidem, quam strēnue propugnāvit, quadriēnio apud Phrygiā relegātus, inter alia mirācula, mortuum suscitāvit. Duōdecim libros scripsit de Trinitate contra Ariānos, et Gālliam univērsam addūxit, ut Arianōrum impietatem condemnāret. Multos libros scripsit mira eruditiōne; quos omnes sanctus Hierōnymus ad Lætā sine ulla errōris suspiciōne legi posse testātur illis verbis: Hilarii libros inoffēnsō decūrrat pede. Migrāvit in cælum Idibus Januārii, anno trecentēſimo sexagēſimo nono. Eum Pius nonus Pōntifex Māximus, instānte ſynodo Burdigalēsi, Dōctōrem univērsalis Ecclēsiæ declarāvit et confirmāvit.

Te Deum laudāmus.

AD LAUDES

**V.** Justum dedūxit Dōminus per vias rectas. **R.** Et ostēdit illi regnum Dei.

**Ad Bened. Ant.** Euge, serve bone \* et fidēlis, quia in pauca fuisti fidēlis, supra multa te constītuam, dicit Dōminus.

**Oratio**

**P**ropitiare, quæsumus, Dómine, nobis fámulis tuis per beáti Valentíni Confessóris tui atque Pontificis (in Cath. additur: qui in hac Cathedráli Ecclesiá requiêscit) mérita gloriósa: ut ejus pia intercessióne ab ómnibus protegámur advérsis. Per Dóminum nostrum.

Et fit Com. S. Hilarii:

**Ant.** Sacérdos et Pón-tifex, et virtútum ópifex, pastor bone in pópulo, ora pro nobis Dóminum.

**V.** Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. **R.** Stolam glóriæ induit eum.

**Oratio**

Deus, qui pópulo tuo ætérnæ salútis beátum Hilárium mínistrum tribuísti: præsta, quæsumus; ut, quem Doctórem vitæ habúimus in terris, intercessórem habére mereámur in cælis. (Per Dñm.)

Deinde Commemoratio S. Felicis Presbyteri et Mart.:

**Ant.** Qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam.

**V.** Justus ut palma florébit. **R.** Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

**Oratio**

Concede, quæsumus, omnipotens Deus: ut ad meliorem vitam Sanctórum tuórum exémpla nos próvocent: quátenus, quorum sollémnia ágimus, étiam actus imitémur. Per Dóminum nostrum.

IN II VESPERIS

**V.** Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. **R.** Et osténdit illi regnum Dei.

**Ad Magnif. Ant.** Amávit eum Dóminus, \* et ornávit eum: stolam glóriæ induit eum, et ad portas paradísi coronávit eum.

Et fit Com. sequentis:

**Ant.** Similábo eum viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram.

**V.** Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. **R.** Stolam glóriæ induit eum.

**Oratio**

Deus, qui nos beáti Pauli Confessóris tui ánnua sollemnitáte lætíficas: concede propítius; ut, cujus natalítia cólimus, étiam actiónes imitémur. (Per Dóminum.)

Deinde Commemoratio S. Hilarii:

**Ant.** O Doctor óptime, Ecclesiæ sanctæ lumen,



beáte Hilári, divínæ legis amátor, deprecáre pro nobis Fílium Dei.

**V.** Elégit eum Dóminus sacerdotem sibi. **R.** Ad sacrificándum ei hóstiam laudis.

**Oratio** Deus, qui pópu- lo, ut supra 20\*.

**Postea Commemoratio S. Mauri Abbatis:**

**Ant.** Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui.

**V.** Os justi meditábitur sapiéntiam. **R.** Et lingua ejus loquétur júdicium.

**Oratio**

Intercéssio nos, quásu- mus, Dómine, beáte Mauri Abbátis comméndet: ut, quod nostris méritis non valémus, ejus patrocínio assequámur. Per Dómi- num nostrum.

Die 19 Januarii

S. SEVERINI

Abbatis

Duplex (m. t. v.)

**Ant.** Similábo eum viro sapiénti, qui ædificávit do- mum suam supra petram.

**V.** Amávit eum Dómi- nus, et ornávit eum. **R.** Stolam glóriæ induit eum.

**Oratio**

**D**eus, qui in sanctis há- bitas, et pia corda non désersis: libera nos per intercessiónem beáte Severíni a terrénis desi- dériis et cupiditate carnis, ut tibi soli Dómino líberis méntibus serviámus. (Per Dóminum nostrum.)

**Deinde fit Commemoratio Ss. Marii et Soc. Mm.:**

**Ant.** Istórum est enim regnum cælórum, qui con- tempsérunt vitam mundi, et pervenérunt ad præ- mia regni, et lavérunt sto- las suas in ságuine Agni.

**V.** Lætámini in Dómino et exsultáte, justi. **R.** Et gloriámini, omnes recti corde.

**Oratio**

Exáudi, Dómine, pópu- lum tuum cum Sanctó- rum tuórum patrocínio supplicántem: ut et tem- porális vitæ nos tríbuas pace gaudére; et æternæ reperire subsidium. (Per Dóminum nostrum.)

**Pro Commemoratione S. Canuti Regis, Mart.:**

**Ant.** Iste Sanctus pro lege Dei sui certávit us- que ad mortem, et a ver- bis impiórum non tímuit; fundátus enim erat supra firmam petram.

**V.** Glória et honóre coronásti eum, Dómine. **R.** Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

### Oratio

Deus, qui ad illustrándam Ecclésiám tuam beátum Canútum regem mártýrii palma et gloriósis miráculis decoráre dignátus es: concéde propítius; ut, sicut ipse Domínicæ passiónis imitátor fuit, ita nos, per ejus vestigia gradiétes, ad gáudia sempitérna pervenire mereámur. Per eúndem Dóminum nostrum.

### In II Nocturno

#### Lectio iv

**S**everínus, defúncto Attila, ex Oriéntis pártibus véniens, in Nórici Ripénsis et Pannóniæ confinio monásticæ vitæ institútum sanctíssime cóluit. Cujus apud Deum mérita et oratiónum vis, cum signis admirándis claréscerent, multa eum óppida et civitatés, afflictiis rebus, ad se súpplices invitárum, confisæ, ut re probátum est, ejus patrocínio ab inféstis hóstium incursiónibus et cládibus se tutas fore. Sensit ejus quoque opem tam in fa-

mis, quam hóstium periculo Faviána nunc Viénna Austriæ civitas, ubi erecto extra muros monastério frequens fuit. Nec præter álios ejus beneficiórum Batávi (nunc Passaviénses) expértés fuére, apud quos fixa ad Bóitrum trans Cenum cella, cum paucis mónachis aliquámdiu commorátus est. Multa Deo revelánte ocúlta cognóvit, multa prophético spírítu futúra prædixit, ac impendéntia mala oratióibus, jejúniis, aliisque pæniténtiæ et pietátis opéribus avértere, exémplo et verbis dócuit: multis dénique ad illum confugiéntibus ægritúdinum étiam desperatárum sanitátem a Deo impetrávit.

**R.** Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimicis, et a seductóribus tutávit illum: \* Et dedit illi claritátem ætérnam. **V.** Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. **Et.**

#### Lectio v

**Q**uanto magis autem Severinum divínæ grátie munus magnárum virtútum prodígiis illustrá-

bat, tanto magis profundissimæ humilitatis studio indignum se et peccatorem clamans, aliorum pro se preces cum lacrimis expetebat. Corpus plurimis inediis subjurgans, numquam nisi certa festivitate ante solis occasum cibo refecit, in Quadragésima per hebdomadam una refectioe contentus. Nullis etiam intensa hieme calceamentis, nec alio strato, quam cilicio supra pavimentum utebatur, habitu, quem gestabat, numquam deposito. Noctis psalmodia cum fratribus celebrata, reliquum tempus orationibus assiduis et rerum divinaram contemplationi dedit. Cui ut defixius incumberet, hominum frequentiam sæpe fugiens, remota loca petivit: unde tamen divinitus ad aliorum utilitatem, quorum evocabatur. At, ut oblatum episcopi munus susciperet, nullis precibus adduci potuit.

**R.** Amavit eum Dominus, et ornavit eum: stolam gloriæ induit eum, \*  
Et ad portas paradisi coronavit eum. **V.** Induit

eum Dominus lorica m fidei, et ornavit eum. **Et.**

### Lectio vi

**D**énique obitus sui diem longe ante præsciens, cum triduo lateris dolore laboraret, nocte convocatis ad osculum fratribus eisdem ad humilitatis, puritatis, omnisque sanctitatis studium adhortatur. Sacramento demum communionis accepto, crucis signo extenta manu se muniens psalmum: Laudate Dominum in sanctis ejus, ipso præcinente canere jubet, ac sub ultimo versiculo: Omnis spiritus laudet Dominum, sexto Idus Januarii spiritum Deo reddidit. Sexennio post ejus obitum Romanis, juxta Severini vaticinium in Italiam migrantibus ossa ejusdem Sancti, ut vivens monuerat, secum asportaturi, effosso sepulcro (quod admirabilem odoris suavitatem exhalabat) corpus plane integrum inveniunt. Quod comitantibus miraculis in Italiam delatum atque in Lucullano honorifice primo conditum, deinde Neapolim translatum est. Nunc vero ejus corpus in parochiali ecclesia



Fractæ Majóris Aversá-  
næ Diocécis ab anno  
millésimo octingentésimo  
séptimo requiésцит.

**R.** Iste homo perfécit  
omnia quæ locútus est ei  
Deus, et dixit ad eum: In-  
grédere in réquiem meam:  
\* Quia te vidi justum cor-  
ram me ex ómnibus génti-  
bus. **V.** Iste est, qui con-  
témpsit vitam mundi,  
et pervénit ad cæléstia  
regna. **Quia. Glória Patri.**  
**Quia.**

**In III Nocturno Homilia in  
Evangelium Sint lumbi, de  
Communi Confessoris non  
Pontificis 1 loco.**

**Pro Ss. Mario et Sociis ejus  
Lectio ix**

**M**áriu Persa, nóbili lo-  
co natus, cum Martha  
cónjuge pari nobilitáte, et  
duóbus fíliis Audíface et  
Abachum, Romam venit  
Cláudio imperatóre, ut  
Mártyrum sepúlcrá véné-  
rarétur. Ibi Christiános  
in víncula conjéctos fové-  
bant, et ópera ac facultá-  
tibus suis sustentábant,  
et Sanctórum córpora se-  
peliébant. Quam ob rem  
comprehénsi omnes, cum  
nec impiórum minis nec  
terróre commoveréntur,  
ut diis sacrificárent; pri-

um fústibus debilitáti,  
deínde fúnibus attrácti,  
tum admótis candéntibus  
láminis combústi, et ún-  
gulis férreis excarnificáti  
sunt. Postrémo præcísis  
mánibus et ad collum al-  
ligátis, ducti per médiam  
urbem, via Cornélia ad  
tértium décimum ab Urbe  
milliárium in eum locum,  
qui Nymphe dicebátur,  
necántur: ac primum Mar-  
tha, quæ virum ac filios  
ad supplicia pro Jesu  
Christi fide constánter  
perferénda veheménter  
fúerat cohortáta; mox cé-  
teris in eádem arenária  
cervíces abscindúntur,  
eorúmque córpora conici-  
úntur in ignem. Quæ se-  
miústa, Felícitas matróna  
Romána nóbilis, colligén-  
da et in suo prædio sepe-  
liénda curávit.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

**V.** Justum dedúxit Dó-  
minus per vias rectas. **R.**  
Et osténdit illi regnum  
Dei.

**Ad Bened. Ant.** Euge,  
serve bone \* et fidélis,  
quia in pauca fuísti fidé-  
lis, supra multa te consti-  
tuam, intra in gáudium  
Dómini tui.

## Oratio

**D**eus, qui in sanctis hábitas et pia corda non déseris: libera nos per intercessiónem beáti Severíni a terrénis desidériis et cupiditate carnis, ut tibi soli Dómino líberis méntibus serviámus. Per Dóminum nostrum.

**Et fit Commemoratio Ss. Marii et Soc.:**

**Ant.** Vestri capilli cápitis omnes numeráti sunt: nolíte timére: multis passéribus meliôres estis vos.

**V.** Exsultábunt Sancti in glória. **R.** Lætabúntur in cubílibus suis.

## Oratio

Exáudi, Dómine, pópulum tuum cum Sanctórum tuórum patrocínio supplicántem: ut et temporális vitæ nos tríbuas pace gaudére; et æternæ reperire subsidium. (Per Dóminum nostrum.)

**Deinde Commemoratio S. Canuti Regis, Mart.:**

**Ant.** Qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam æternam custódit eam.

**V.** Justus ut palma florébit. **R.** Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

## Oratio

**D**eus, qui ad illustrándam Ecclésiám tuam beátum Canútum regem martýrii palma et gloriósis miráculis decoráre dignátus es: concéde propítius; ut, sicut ipse Domínicae passiónis imitátor fuit, ita nos, per ejus vestígia gradiétes, ad gáudia sempitérna pervenire mereámur. Per eúndem Dóminum nostrum.

**Vesperæ a Capitulo de sequenti, Commemoratio præcedentis:**

**Ant.** Hic vir despiciens mundum et terréna, triúmphans, divítias celo cóndidit ore, manu.

**V.** Justum et Oratio Deus, qui, **ut supra 24\*.**

Die 25 vel 26 Februarii

S. WALBURGÆ

Virginis

Duplex

**Ant.** Veni, Sponsa Christi, áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.

**V.** Spécie tua et pulchritúdine tua. **R.** Inténde, prospere procéde, et regna.

Fracta **Oratio**

**D**eus, qui inter innúmera grátiae tuæ dona étiam in sexu femíneo tua operáris magnália: concéde propítius; ut beátæ Walbúrgæ Virgínis tuæ apud misericórdiam tuam patrocínia sentiámus, cujus non solum castitátis illustrámur exémpis, verum étiam miraculórum glória jucundámur. (Per Dóminum nostrum.)

Deinde, in Quadragesima, fit Commemoratio Feriæ.

**In II Nocturno****Lectio iv**

**W**albúrga, sancti Richárdi Anglórum regis filia, sanctórum Willibáldi et Wunibáldi soror, virginitátem suam ab ipsis prope incunábulis Christo sponso dicávit, ómnibus hujus mundi illecebris fórtiter contémp-tis. Quæ cum sanctitátem suam in pátria mirum in modum probásset, a sancto Bonifátio non sine fratrum assénsu ex Anglia in Germániam cum plúribus áliis Deo devótis féminis evocáta est, ut disciplinam religiósam apud sanctimoniáles partim plantáret, partim conserváret ac amplificáret.

Quod ipsa strénue præstitit se ipsam éxhibens exémpulum in conversatióne, in caritáte, in castitáte.

**R.** Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam: \* Et dedúcet te mirabiliter déxtera tua. **V.** Spécie tua et pulchritú-dine tua inténde, prospere procéde, et regna. **Et.**

**Lectio v**

**E**x Thuringia Heidenhémium a Willibáldo fratre accersíta venit, ut recens cóndito vírginum monastério præsesset. Præfuit et quidem ádeo feliciter, ut mórtuo sancto Wunibáldo ipsi étiam cœnóbium virórum committerétur. Quo in múnere dum summa integritátis, prudéntiæ et sanctimóniæ laude non sine éditis miráculis versáretur, ad gáudia cæléstia, quorum desidério vehementer inflammáta erat, migrávit anno salutis septingentésimo septuagésimo nono, sepúlta Heidenhémii, Willibáldo episcopo sanctæ vírgini et soróri justa persolvénte.

**R.** Dilexisti justítiam, et odisti iniquitátem: \* Proptérea unxit te Deus,



Deus tuus, oleo lætitiæ.  
**V.** Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam. **Propterea.**

**Lectio vi**

**H**eidenhémii sancta virgo domicilium et sepulcrum hábuit usque ad Otkárium sextum Episcopum Eystettensem, cujus auctoritate clerique approbatione castissimæ virginis reliquiæ Eystádium sollénni pompa et ómnium órdinum accúrsu translátæ sunt ad locum, qui nunc a sancta Walbúrga nomen habet: sic tamen, ut pars sacrárum reliquiárum monastério Monheiménsi céderet rogátu Lióbæ abbatissæ. Utrobíque plúrima miracula mox edi cæpta. Eystádium id peculiáre habet, quod ex benedictis Walbúrgæ ibídem recónditis óssibus limpidíssimum variisque infirmitatibus salutíferum óleum manat.

**R.** Afferéntur Regi virgines post eam, próxima ejus \* Afferéntur tibi in lætítia et exsultatione. **V.** Spécie tua et pulchritú-

dine tua inténde, prospere procéde, et regna. Afferéntur tibi. **Glória Patri.** Afferéntur tibi.

**In III Nocturno Homilia in Evangelium** Simile erit regnum cælórum decem virginibus, **de Communi Virginum 1 loco.**

**In Quadragesima IX Llectio de Homilia Feriæ.**

**AD LAUDES**

**V.** Diffúsa est grátia in lábiis tuis. **R.** Propterea benedixit te Deus in ætérnum.

**Ad Bened. Ant.** Simile est regnum cælórum \* hómini negotiátóri quærénti bonas margarítas: inventa una pretiósá, dedit ómnia sua, et comparávit eam.

**Et, in Quadragesima, fit Commemoratio Feriæ.**

**IN II VESPERIS**

**V.** Diffúsa, ut supra.

**Ad Magnif. Ant.** Veni, Sponsa Christi, \* áccipe coronám, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.

**Et, in Quadragesima, fit Commemoratio Feriæ.**

21. ii	Circumstant me	113
21. iii	Beatus qui cogitat	113
22	Domine Deus	119
23	Domini que terra	119
24. i	Ad te stulto	122

## KALENDARIVM

### NOVEMBER

- 26 S. Joannis Berchmans Conf., duplex. Com. S. Silvestri Abb. et pag.  
S. Petri Alexandrini Ep. et Mart. 1\*

### DECEMBER

- 4 S. Barbaræ Virg. et Mart., duplex maj. Com. S. Petri Chrysologi  
Ep., Conf. et Eccl. Doct. 1\*  
16 B. Hartmanni Ep. et Conf., duplex. Com. S. Eusebii Ep. et Mart. 5\*  
26 S. Stephani Protomartyris, Patroni principalis civitatis episcopa-  
lis et Titularis Ecclesiæ Cathedralis, duplex I classis cum Octava  
communi. Com. Octavæ Nativitatis 10\*

### JANUARIUS

- 2 Octava S. Stephani Protomartyris, duplex majus 10\*  
7 S. Valentini Ep. et Conf., Patroni principalis Dioceseos, duplex  
I classis cum Octava communi. Com. Octavæ Epiphaniæ 13\*  
14 — Octava, duplex majus. Commemoratio S. Hilarii Ep., Conf.  
et Eccl. Doct. ac S. Felicis Presb. et Mart. 15\*  
19 S. Severini Abbatis, duplex. Com. Ss. Marii et Soc. Martyrum ac  
S. Canuti Regis, Mart. 21\*

### FEBRUARIUS

- 25 S. Walburgæ Virg., duplex 25\*

### APPROBATIO

Concordat cum originalibus approbatis.

Passaviæ, die 1 Februarii 1954

Dr. FRANCISCUS RIEMER

Vic. Gen.

### IMPRIMATUR.

Passaviæ, die 2 Februarii 1954

† SIMON CONRADUS O. S. B.

Episcopus Passav.

Ratisbonæ, sumptibus et typis Friderici Pustet

Printed in Germany